




PRÆFATIO.



Pharmacopœi provinciales eodem hucusque uti dispensatorio, ac tot tamque diversis pharmacis suas officinas instruere debebant, quibus amplæ pharmacopœæ, quæ in magnis populosisque urbibus existunt, replentur.

P R Æ F A T I O.

Quoniam autem ruri tanta medicamentorum diversitas, ut in civitatibus, non requiritur; neque boni ac experti Medici antiquas illas & voluminosas compositiones hodiedum præscribere solent, contigit, ut singulis annis in officinis ruralibus permulta fuerint inventa remedia partim effoeta, partim corrupta.

Sanitati igitur publicæ consultum, atque necessarium judicavimus, minorem hanc *provincialem pharmacopæam* componere, in qua solummodo bona, utilia & maxime simplicia medicamenta continerentur.

Hac

P R Æ F A T I O .

Hac ex ratione multa, in dispensatorio Viennensi descripta, omisimus; quædam inepte parata emendavimus; pauca tamen, fors minus congrua, retinenda adhuc credidimus, quibus vulgus jam a tot annorum usu nimium est assuetum, ne id horum suppressione sibi detrimentum accidisse putaret.

In describenda materie medica, & in explicatione terminorum artis summa observata fuit brevitatis, ut major opusculi moles evitaretur; agemus autem de his prolixius in completo nostro opere pharmaceutico.

P R Æ F A T I O.

Quæ simplicia signo (†) notata sunt, sicca asservari non debent, quoniam recentia tantum compositiones ingrediuntur.

Quibus vero asteriscus (*) præfigitur, ea minus necessaria sunt; nec pharmacopœus culpari potest, si hæc non semper in promptu habeat; neque teneatur ea semper habere parata, quæ ex tempore, ut dici solet, confici possunt, v. gr. *Infusum laxativum, Emulsum, Rotula, Elaëosacchara &c.*

Juxta hujus *Pharmacopœæ Austriaco-provincialis* præscriptionem nunc in posterum

P R Æ F A T I O.

rum omnes pharmacopœi oppidorum,
villarum, pagorumque suas officinas in
omnibus provinciis auftriacis hæredita-
riis exacte instruere obligantur, & si
cuncta recentia, bona, atque rite parata
omni tempore deprehendantur, nil ul-
tra desiderabitur, nisi fortassis aut pro-
vinciæ *Protomedicus*, aut circuli loci-
ve *Physicus* quædam in sua praxi de-
tlexerit, aut ex longo & frequenti usu
necessaria crediderit, ut addantur.

Interim pharmacopœi urbium magna-
rum priori adhuc uti dispensatorio de-
bent: ea tamen lege, ut correctâ in hoc
opusculo eadem methodo deinceps con-
ficiant,

PARS

PRÆFATIO.

ficiant, & nova adjuncta quoque pa-
rent.

Datum Vienna 1. Augusti 1775.

ANTON. L. B. DE STÖRCK,

Cæs. Reg. Archiat. Comes, Studii
Medici Præses, & Protomedicus
per universas Provincias Austria-
cas.

NIC. JOS. DE JACQUIN,

A Consil. Metallicis, Chemiæ &
Botanices Professor.

JOAN. JAC. DE WELL,

Historiæ naturalis Professor, &
Pharmacopœus ad nigrum ursum.

PARS